

Unus aliquis, si mortui conditio ferat, verba facit, neque rationem ullam ex iis prætermittit, quæ ad leniendam ægritudinem à dicendi magistris afferri solent. Excurrit inde mortui laudes : hominem eum natum fuisse admonet, atque adeo morti obnoxium : qui casus emendari nequeant, fieri patientia leviiores ; alia id genus in eandem sententiam edifferit. Tertio die funus ducitur. Epulum funebre apponitur toti pago, singulis suam symbolam, nec malignè, conferentibus. Hujus epuli causas afferunt maximè tres : primam, ut communem mærorem leniant : alteram, ut qui amici peregrè ad funus veniunt, accipientur honestius : tertiam, ut gratificantur extincti Manibus, quem ea liberalitate delectari existimant, & appositis etiam dapibus